Lane Medical Library

# DISSERTATIO
## INAUGURALIS MEDICA
## DE
# ABORTU.

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

DOCTORIS MEDICINAE HONORES

LEGITIME CAPESSITURUS

DIE VII. SEPT. A. MDCCCXI.

HORIS ANTEMERID.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS JULIUS JACOBUS MEBES.
MESOMARCHICUS.

BEROLINI.
TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

V I R O

DOCTISSIMO

STEPH. FRIDER. BAREZ

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

AMICO MEO OMNIUM

DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

IN

GRATI ANIMI PERPETUIQUE

AMORIS TESSERAM

D. D. D.

AUCTOR

CAROLUS JULIUS JACOBUS MEBES.

# PRAEFAMEN.

*Jam diu in animo fuit, eligere thema ad dissertationem inauguralem, quod et viribus meis responderet, studiisque meis et animo haud nimis alienum esset. Operam enim dabo, ut ex hoc specimine commodi aliquid et fructus redundare possit; etsi non multis, novisque inventis ac excogitatis, tamen recta compilatione eorum, quae jam ab aliis cognita et inventa sunt. Quare de abortu verba facere maxime placuit, tum quia de hac re multi quidem; omnes vero magis minusve vitiosa edidere, tum quia peculiari quodam stimulo ad obstetriciae artis studium adactus, praecipue ad hoc specimen impellabar.*

*Per anni spatium artem obstetriciam, viro celeberrimo* Osiander *duce, tum quoad theoriam, tum quoad praxin excolui. Egregias de morbis mulierum praelectiones quoque ejus frequentavi, inprimisque commendandas, quibus artis obstetri-*

*ciae praxin exercendi in animo est.* Georgia Augusta, *et professoribus et institutis publicis clarissima, relictis, Berolinum me contuli, ubi et ill:* Mursinnae *praelectionibus de arte obstetricia, et exercitationibus practicis in nosocomio magno Berolinensi interfui.*

*Ne quis tamen in hoc opusculo nova et inaudita adhuc exspectet, aut doctrinae de abortu reformationem quaerat, cui vires tironis in medicina parum responderent conamini. Tamen quae alii iique celeberrimi viri de hac re disseruere diligenter in unum collegi, omittendo quae obsoleta et nullius usus, retinendo vero, quae bona et utilia fuere, omnia accurate, ut spero, compilavi, neque incepte in ordinem redegi.*

## CAPUT I.

### *De nomine et definitione abortus.*

Variae non solum antiquis, sed etiam medii aevi temporibus de abortu exstabant opiniones. Si vero nostrae aetatis scriptores in hac re non tam dissentire videntur, progressibus physiologiae tribuendum hoc puto, quamvis adhuc non desint, qui a recepta opinione aberrent.

Graeci scriptores rem discernere solebant pro varietate temporis, accurate distinguendo ejectionem ovi, ab abortu proprie sic dicto et foetu mortuo; habent enim *ἐκβολὴν* et *ἐκτρώμα* [1]. *Ἐκβολὴ* proprie est ovi exclusio, seu rejectio conceptus, seu foetus non formati sub forma ovi, quale exemplum in *Hippocratis* scriptis reperitur; *ἐκτρώμα* vero est abortus, seu ejectio foetus jam constituti; *ἐκβολὴ* fit intra sex primas a conceptione septimanas; postmodum conceptus a formatione ad decimam sextam septimanam, vel ad

1) Schurig. Embryologia. Sect. V. C. I.

tempus motus, vocatur ἐκτρώμα. *Aristoteles* [2]) ἐκθρώσμους vocandos putat illos foetus, qui a die conceptionis quadrigesimo expelluntur; illos autem, qui primis diebus usque ad septimum effluunt ἐκρύσεις, i. e. effluxiones. E quibus veterum accurata hujus rei distinctio apparet; maxime vero eorum ἐκτρώμα, cum nostra de abortu notione, ut infra ostendemus convenit.

Quanta in mediae aetatis scriptoribus fuerit opinionum dissensio, *Schurig* in Embryologia sua exponere conatus est. *Astruc* [3]), auctor gallicus, quemlibet partum praematurum, intra graviditatis tempus, et ante nonum mensem ex utero elapsum, abortum vocat, quem ratione temporis in duo genera dividit. *a*) In abortum primo aut secundo graviditatis mense sine doloribus editum, propter ovi parvitatem, raro cum haemorrhagia, plerumque cum humoris cujusdam lymphatici fluxu conjunctum. *b*) In abortum a tertio graviditatis mense usque ad decimum factum, plus minusve dolentem pro graviditatis progressu, cum violenta saepe haemorrhagia. Nec mihi placet, quod hujus divisionis principium a variis symptomatibus desumitur, foetus exclusionem variis graviditatis temporibus comitantibus; nec rectius omnis ejectio foe-

---

2) Hist. anim. VII C. III.

3) Maladies des femmes. Tom. V. p. 312.

tus ante decimum mensem abortus vocatur. Huic valde similis, nec melior est *Andr. Ottomar. Goelicke* 4) definitio, dicentis: abortionis vocabulum denotat nobis praematuram seu intempestivam foetus humani, sive vivi, sive mortui, exclusionem, ante terminum partus ordinarium atque legitimum, quoque graviditatis tempore, a variis causis excitatum.

Minus quam quae jam attulimus definitiones, *Albini* placet opinio, qui omnem partum humanum, sive vivum, sive mortuum, ante justum pariendi tempus exclusum, abortum vocandum esse censet.

Equidem abortum vocandum esse judico, foetus sive vivi, sive mortui, septem primis graviditatis mensibus exclusionem quo tempore organa ejus non tam efformata sunt, ut foetus a matre sejunctus vivere possit. Pro subdivisione partum praematurum accipio, cum a septimo mense, foetum etiam extra uterum vivere posse, experientia certiores facti simus. Negari quidem nullo modo potest, infantes VI. aut VII. mensium vivos ex utero editos fuisse; an autem vitae continuandae facultatem habuerint, recte dubitari posse mihi videtur. Ut e multis unum saltem exemplum proferam, *Mauriceau* 6), quod vix credibile vi-

---

4) Medicin. forens. specim. med. leg. VI. p. 99.

5) Diss. de abortu. Traj. ad V. 1697.

6) In Observationibus suis 78.

detur, de femina narrat, quae infantem duorum mensium pepererat, digitum longitudine aequantem, adeoque vigentem, ut a sacerdote quodam praesenti, aquis sacris perfunderetur. Similem casum idem narrat auctor [7]) de infante, duos menses cum dimidio nato.

Quam ego abortus definitionem pro vera habendam censeo, permulti jam scriptores recentiorum temporum edidere, exempli gratia *Fahner* [8]), *Froriep* [9]), *Stoll* [10]). Immo veterum nonnulli in hanc sententiam cedunt. *Christ. Marggravius* [11]) pro abortu habet, quod si foetus humanus ante septimum mensem excludatur, sive vivus, sive mortuus, nunquam tamen vitalis. *Schurig* [12]) ait: partus septimestris et octimestris est quidem partus praematurus, non tamen stricto sensu abortivus dicendus, quia tales partus non vivi modo prodeunt, sed et vitales sunt, i. e. sufficientem corporis organici conformationem acceperunt, ut, teste experientia, in vivis permanere queant. Cum e contra foetus abortivus, qui a primo conceptionis tempore ad sexti mensis finem continge-

---

7) Obs. 297.

8) *Starks Archiv für Geburtshülfe*, B. I. St. 4.

9) *Geburtshülfe*, §. 281.

10) Ratio medendi, Tom. VI. p. 319.

11) Prodrom. med. pract. sect. III. tab. 33. p. 160.

12) L. c.

re potest, vivus quidem in lucis prodire, vitalis tamen permanere nunquam soleat.

*Schurig*, ut ex his colligi potest, abortum usque ad sexti duntaxat mensis finem fieri decrevit, quae sententia etiam institatori meo summe venerando illustr. *Osiander* placuit; abortum in praelectionibus suis de morbis mulierum, omnem foetus exclusionem, ante sexti mensis finem vocanti; sive foetus in membranis suis sit inclusus, sive iis jam denudatus, aut vivus, aut mortuus in lucem prodierit.

## CAPUT II.

### *Causa proxima abortus.*

In altiora vitae organicae penetrare, ingenio humano nondum licuit; sunt terrae illae occultae nobis et plane incognitae, et densa quasi nebula obtectae, quam vix adeo perspicere oculis humanis contigit, ut esse terras istas conjectarent, quarum vero ab interiori perlustratione tantum adhuc abest ut leges vix suspicari inceperimus, quibus mirum istud principium agat, quod principium vitale appellamus, nullo modo autem naturam ejus investigaverimus. Quam parum autem etiam in rerum multo inferiorum, in rationum plane mechanicarum, longe plurimarum corporis functionum cognitione provecti simus, theoriam de partu accuratius consideranti atque perpendenti insigniter apparet. Den-

siores tenebrae oculos obnubilant ubi de causis indagandis agitur, per quas mutationes organismi in graviditate et partu efficiantur. Immo, qui ignorantia fere pejores sunt, multi de hac re et gravissimi exstant errores, ex manca veterum, et vitiosa actionum vitalium cognitione orti, ad quos emendandos et corrigendos, a novissimi tantum temporis naturae studiosis nonnullis, pericula quaedam facta sunt.

Causae abortus aliae esse non possunt, quam quae partus naturalis necessitatem afferunt. Priusquam igitur de causa et ratione abortus disseramus, nonnulla de partu naturali ejusque causis praemittere juvat.

Hypotheses, quas de phaenomenorum in graviditate et partu conspicuorum causis excogitaveré, maxima ex parte tam evidenter a verisimilitudine aberrant, ut sit mirandum, eruditos tam diu in iis conquievisse, et rem explicatam habuisse.

Crediderunt, plethoram localem in arteriis et praecipue in venis uteri, tum ab insolito foecundationis stimulo, tum a suppressis post conceptionem mensibus, ortam, extensione vasorum et totius uteri sub stantiae eam efficere voluminis et densitatis uteri mutationem, quam in graviditate observamus. Quam vaga haec omnia sint, et incerta, quisquis facile intelliget.

Nec minus incertae sunt causae quas dicunt pariendi necessitatem afferre. Volunt alii, sanguinem, qui ad finem graviditasis magis impediatur, quominus

ab utero in fructum transire possit, plethoram et statum quendam inflámmatorium adducere, qui illum ad pariendi actum cogat. Ex aliorum sententia extensio uteri, capitisque foetus pressio in portionem vaginalem, et in partes pelvis sensibiliores, ejectionem foetus efficit; aut acredo et putredo liquoris amnii secundinas ad partum irritat Tandem in foetu ipso causa quaeritur, qui fame, vel soliti alimenti pertaesus, vel ob defectum aëris, vel situm incommodum exitum sibi faciat, ut pullo in ovo similis, testam suam frangat, propriisque viribus aditum ad lucem sibi aperiat.

Censuram hic variarum opinionum defugienti, id solum mihi monendum videtur, historiae graviditatis partusque accuratiorem considerationem, atque cognitionem interiorem ad plane diversa illius rei principia et profundius in ipsius naturae legibus fundata nos compellere.

Varii sunt gradus, ut ita dicam, vitae systematis uterini pro variis hominum aetatibus. Systema genitale ante pubertatem reliquo organismo tantum affixum quasi est et adjectum. Uterus ipse corpus est durum fere cartilagineum, quod, si sectioni anatomicae subjiciatur, albam levemque ostendit substantiam tamque paucis vasis praeditam, ut segmento ab eo amputato, nullum fere sequatur sanguinis profluvium. Vitam agens plantarum similem, functione peculiari

et organico cum reliquo corpore nexu caret. Praevalet in eo vis mortua contractionis per totam ejus substantiam aequali modo diffusa. Inter duodecimum tandem ac decimum sextum aetatis annum, ad intensiorem vitam, ad vitam animalem excitatur, quae eum adducit statum, quem pubertatem appellamus. Tunc primum mutua uteri fit actio, et in reliquas systematis genitales partes, et in totum organismum, cui tunc novum quasi organon inseritur. Vitae majori intensioni et virium vitalium mutationes et corporeae tum systematis genitalis cum totius organismi mutationes respondent, incipiente illa phaenomenorum serie, quae pubertatis decursum comitatur.

Summus gradus partium genitalium muliebrium vitae cernitur conceptionis, graviditatis, denique partus tempore. Ante graviditatem, viribus vitalibus in utero non ad polos diversos dispositis, contractio praevalet, aequabiliter per totam substantiam diffusa. Cum ipsa vero foecundatione expansio invalescit; primo in fundo uteri, unde majoribus semper circulis totum corpus, denique collum uteri invadit. Contractio ad polum oppositum ad collum uteri repellitur, donec in ultimum colli puunctum repressa, subito ad fundum transiliat, eodemque momento partum incipientem designet. Plerumque haec polorum inversio subito et uno quasi ictu fit, praesertim in abortu. Contractio

nunc maxima in fundo, expansio in collo sita est, illa prae expansione praevalente.

Transitus ille primos sistit dolores, physiologicum inter graviditatem absolutam, incipientem partum, terminum. Contractio nunc magis magisque, et extensive et intensive crescens, a fundo ad corpus uteri extenditur, brevioribus semper intervallis recurrit, longius per tempus durat, et interno vigore augetur usque ad partum finitum, post quem denuo toto utero potitur. Dynamicis hisce mutationibus corporeae correspondent cognitae uteri in graviditate mutationes, per solam parietum extensionem aut majorem humorum affluxum nequaquam explicandae, quarumque causa unica in supra recensitis relationibus dynamicis quaerenda est.

Plura hac de re commemorare superfluum judico; lectorem ad ea remittens quae Ill. *Reil* [1]) et multa et egregia hac de re disseruit; et propius nunc accedo ad quaestionis de causa proxima abortus responsionem.

Scriptorum permulti, qui de abortu verba fecerunt, causae proximae mentionem plane praetermittentes, remotarum causarum immensem copiam statim afferunt. *Fridericus Hoffmannus* [2]) e. g. dicit:

---

1) *Archiv für die Physiologie*, B. VII. p. 341.

2) Med. rat. syst. Tom. I, 6. 13.

Quando orificia vasorum uteri, ex quibus succus nutritionis a villosa placentae substantia recipitur, sanguinis copiosi impetu nimis distenduntur et aperiuntur et secundina divellitur, fit abortus, qui est contractio uteri convulsiva foetum ejiciens. *Fahner* [3]) de causa proxima opinatus est: Omnia, quae uterum distentum, ita irritare valent, ut satis fortiter contrahatur ad foetus ejectionem, abortus causa proxima sunt. Ex veteribus scriptoribus *Schurig* [4]) proxime ad veritatem accessisse mihi videtur, dicit enim: Abortus causa proxima latet in utero ipso, quando nimirum ob praeternaturalem ipsius coarctationem, vel etiam nimiam laxationem foetum diutius retineri non potest. Ex recentioribus maxime *Osianderi* opinio respicienda, qui in praelectionibus suis de morbis mulierum sic rem evolvit: Causa proxima abortus foetus uterique actionis mutuae sublatam aequilibrium esse videtur, unde contrahens uteri sequitur actio, vis expulsiva justo citius agere incipit, et fructum excludit.

Si ea probantur, quae supra de graviditate et partu sunt dicta; abortus causa proxima in nihil alio sita est quam in justo citius tumescente et emollita portione vaginali et collo uteri, et contractione ad fundum

3) Stark. l. c. B. I. St. 4.

4) L. c.

fundum transilienti, priusquam expansio summum gradum attigerit, et metamorphosis uteri sit absoluta.

Haec igitur vera causa et proxima est abortus, reliquae omnes, quae a scriptoribus citantur, e. g. juventus, structura corporis tenuior, alimentorum defectus, vitia uteri etc., nil nisi causae occasionales esse possunt, aut talia in viribus vitalibus et vegetatione tum totius organismi in genere, tum uteri in specie vitia ponere possunt, quibus citius, quam par esset polorum illa inversio excitetur. Asthenicam plerumque diathesin, raro sthenicam inversionem illam inducere, experientia certiores facti sumus.

## CAPUT III.

### *De causis remotis abortus.*

Permultas causas, quae a scriptoribus citantur, in ordinem quendam strictiorem redigam necesse est; ideoque mihi quatuor earum ordines constituendi videntur. Divisio systematica difficultatibus vero permultis laborat, neque me latet, eam quoque quae sequitur, vitia nonnulla et menda premere.

I. Causae, quibus vis vitalis in utero latens justo citius fortiter excitatur.

II. Causae quae uteri vim vitalem debilitant.

III. Causae quae foetus vim vitalem infirmant.

IV. Laesiones mechanicae, quibus modo foetus, modo uterus, modo uterque afficitur.

Ne dissertationem hanc longius instituto producam, causas plerasque nomine tantum attingam, nonnullas modo majoris momenti latius exponens.

Primo ordini hae causae adnumerandae:

Prae ceteris plethora localis, per plethoram totius corporis inducta, vim uteri vitalem, ante tempus a natura constitutum, excitans; tum quilibet status inflammatorius in utero aut vicinis partibus, enteritis e. gr., violentus spasmus qualis in dyssenteria invenitur, omittendis aliis. Omnia porro quae sanguinem copiosius invitant ad uterum ejusque vasa relaxant, e. g. clysmata emollientia, balnea calida, pediluvia, abdominis percussiones, graves commotiones, compressio arteriarum cruralium, ut sic minus sanguinis feratur ad extremos pedes, et plus ad vasa uteri vicina, quam methodum menstrua restituendi *Hamilton* in observationibus Edinburgensium descripsit. Etiam equitatio multum sanguinis ad partes genitales derivat. Irritatio quaevis uteri aut partium vicinarum, frictio scilicet pudendorum, irritatio orificii uteri, praecipue mechanica per pessaria irritatio. Neque remedia interna, quae sanguinem fortiter in vasa uteri majora pellunt omittenda sunt; omnia remedia, quae ad provocandos menses pertinent; drasticum porro purgans ex aloe, e resina jalappae, colocynthide,

scammonio, itemque diuretica, maxime cantharides. Morbi interdum nonnulli, qui sanguinem ad partes interiores pellunt, ut febres intermittentes. Excitantia remedia et stimulantia, qualia sunt vinum, spiritus vini [1]), coffeae concentratae infusum. Auctores nonnulli etiam exempla nobis proferunt remediorum singulorum, quorum usu abortus efficiebatur. *Stoll* [2]) haec nobis narravit: Virgo XX. annorum foetu recenter mortuo prius excluso, periit. Videbatur vitriolum cupri sumsisse, quo foetum expelleret. De quo medicamento *Stoll* ait: „remedium in vulgo notum, cui non pauca funera debentur." Ex semine aconiti feminas quandoque poculum abortivum parare scribit *Schurig* [3]). Rustica quaedam drachmam fere arsenici assumserat, ex qua enormis vomitio et altero die post, abortus quinque mensium consecutus. et die tertio extincta est [4]).

Inter causas abortus coitus quoque nimis frequens in graviditate numerandus, quod *Zimmermann* [5]) affirmat, dicens, causas abortus apud nos plerumque sitas esse in coitu frequenti. Neque dubitandum,

---

1) Stark. L. c. B. II. St. 1. p. 119.

2) L. c. T. III. p. 460.

3) L. c. p. 373.

4) Acta med. berol. vol. II. n. 4. §. 8 p. 116.

5) *Von der Erfahrung.* B. II c. 10.

uterum in imam pelvin delapsum cum coitu in primis graviditatis mensibus plus periculi conjungere, et hoc ipso tempore abortus frequentiores inveniri. Quod cum naturae in propagandis plantis oeconomia convenit, videmus enim florescentés arbores, longe plus fructuum nascentium amittere quam maturitatis tempore.

Sordes etiam viscerum, aliaeque materies, e. g. arthriticae saepe abortum causant. Si Ill. *Richter* 6) consentire volumus, sordes gastricae frequentissimis abortus causis adnumerantur. *Stark* 7) febrem bibliosam descripsit, quam abortus secutus est. Nec minus vermes intestinales abortum adducunt. *Stoll* 8) dicit: Materia arthritica frequens est abortuum causa, maxime primis tribus aut quatuor mensibus.

II. Ad causas quae vim vitalem uteri debilitant, hae principue pertinent:

Omnes affectus animi totum corpus debilitantes, ut moeror, timor, horror, ira, omnes nervorum commotiones graviores, immo omnia quae nervos majori vi perturbant, praecipue nervos olfactorios, ut moschus, ambra, candelarum odor extinctarum, carbo-

---

6) Chir. Bibl. Bibl. B. VI. p. 619.

7) L. c. B. VI. St. 4. p. 1.

8) L. c. Tom. V. p. 460.

num caligo. Commemorante *Filitz* [9]) mulier tenerrima odore liliae albae tali modo afficiebatur, ut statim abortum faceret, quamvis antea valetudine perfecta gauderet. A rosarum odore abortum annotat *Alphonsius Rhonius* [10]). Quinetiam animalia nobis hujus rei exempla edidere, quae, per idiosyncrasiam odore quodam affecta, abortum faciebant. De urinosi odoris vi in ovibus abortum causandi refert observationem *Joh. Dav. Marchardus* [11]). Omnes porro concussiones vel laesiones nervorum mechanicae, seu morbi nervos concutientes ut epilepsia etc.. abortum provocare possunt. Nec minus graviditas in teneri adolescentia, et graviditates nimis frequentes accusandae sunt, extensio etiam uteri nimia, vel placenta parva, ovum cum utero laxius conjungens. Denique magna humorum jactura, durante graviditate, e. g. per salivationem, fluorem album, nutritionem infantum in graviditatis statu, et haemorhagiam permagnam, etc. etc.

III. Tertio ordini causarum, quibus vis foetus vitalis infrangitur, ex mea quidem opinione omnes morbi foetum in utero ipso invadentes, adnumerandi

---

9) Stark. l. c. B. II. St. III. p. 35.

10) M. N. C. Dec. III. An. 5 et 6. Obs. 80.

11) Ephemer. Acad. nat. cur. cent. V. Obs. 83. p. 59.

sunt. Quam rem *Fridericus Hoffmannus* [12]) disputatione evicit, sequentes morborum species sistens; videlicet variolas, luem veneream, icterum, febres intermittentes, hydropem, praecipue hydropem cerebri, epilepsiam, hernias umbilicales, rachitidem, quibus mihi dispositio ad monstrositatem foetuum addenda videtur. Quamvis nullum abortus exemplum speciale addiderit, nos fugere non debet, si foetus in utero materno morbo quodam afficiatur, eum facilius mori posse, quam infans jam natus, quod etiam *Hippocratis* [13]) auctoritate confirmatur. Pertinet huc porro uterus, qui elasticitate quadam praeditus esse debet, eadem carens; vel morbi quidam uteri, ut scirrhus et alii multi. Quo in morbo conceptionem adhuc fieri, eumque locum abortus dare posse, *Sommer* [14]) exemplo citato illustrat. Seu etiam mala secundinarum conformatio, et teste *Morgagni* [15]), placenta crassior, durior, quae sua mole aucta, foetui uteri spatium angustius reddit, ita ut duritie ejus nutrimento foetus orbatus pereat. Inter causas porro abortus etiam nu-

---

12) De morbis foetuum in utero materno. Opera omn. physico-medica, Tom. VI.

13) Aph. 12. Sect. 2.

14) Stark. l. c. B 3 p. 288.

15) De sedibus et causis morb. Tom. II. L. 3. Ep. 48. Art. 17.

meramus plures foetus in iisdem ovi membranis sitos, declivitatem vel prolapsum uteri, nutritionem aliorum infantum in graviditatis statu, contorsionemque funiculi umbilicalis, ut *Ruysch* [16]) adnotat. Causis rarioribus addenda funiculi umbilicalis aut brevitas nimia, aut nodi innexi; haec quamquam rarissime reperiuntur, haud tamen eorum exempla desunt [17]), [18]).

IV. Ad ordinem quartum sequentes causae referendae: abdominis pressio, percussiones, commotiones graviores, vulnera uteri ipsius, sternutatio frequentissima et violenta, qualem facere solet euphorbium [19]), risus, tussis [20]), clamor, extensio et flexio abdominis, prolapsus et conversio uteri, placenta praevia [21]) seu in collo uteri affixa, ideoque os uteri mechanico modo premens.

---

16) Obs. anat. chir. XI. p. 113.

17) Fabr. Hildanus Obs. chir. cent. II. Obs. 50. p. 121.

18) *Fahner in Starks Archiv B. I. St. 4.*

19) Stoll. l. c. Tom. VI. p. 321.

20) *Storch Weiberkrankheiten,* B. 4. Th. 2. p. 6.

21) Stark l. c. B. 2. St. 3. p. 78.

## CAPUT IV.

### *De diagnosi abortus.*

In diagnosi abortus duplex casus animadvertendus erit; aut timendus tantummodo abortus est; tunc medici erit, summa cura imminentem avertere; aut instans abortus inevitabilis est; tunc partus artificialis plerumque faciendus, praesertim si haemorrhagia per magna matri mortem minitatur. Signa diagnostica abortum praecedentia in genere sunt: Si mammae sponte extenuantur, aut ex iis lac aquosum fertur. Ipse *Hippocrates* [1]) de hac re dicit: Mulieri ingravidatae, si mammae repente extenuantur, abortus fieri solet. Si cui mulieri gravidae lactis copia e mammis profluat, infirmum esse foetum significat [2]). Eidem si lac ex mammis profluit, imbecillum est quod intus gerit; durae mammae sanum illud esse testantur [3]). Permulti scriptores hoc signum abortus inevitabilis credunt esse, nonnulli tamen monent effusionem lactis gravidis quibusdam nil nocuisse, mihique ipsi casus se obtulit, quod mulier a primo graviditatis mense, usque ad octavum, magnam lactis copiam amiserit, sine ullo foetus detrimento. Certo unico illo signo

---

1) Aph. 34. Sect. 5.

2) Aph. 52 Sect. 5.

3) Celsus Lib. II. Cap. VII.

nequaquam confidendum, nisi alia quoque adsint, quae auctoritatem ejus confirment, qualia sunt: abdomen etiam deminutum seque deorsum demittens, insolita quaedam circa coxas et lumbos gravitas, rigor et horror invicem recurrens, manus ac pedes praesertim frigentes, segnities quaedam ad motum, sensus insolitus ponderis sinui pudoris incumbentis, vulvam prementis, capitis dolor, praesertim circa oculorum radices, laterum ventrisque superioris constrictio, propensio ad reddendam urinam. Nonnullis adsunt dolores cardialgiae similes, defectus appetitus, nausea, vertigines et syncope; nonnullae etiam sonitum se audivisse vesica rumpente, et mox sanguinis et aquarum profluvium se animadvertisse affirmant. Abortus interdum cum intempestiva haemorrhagia incipit. Non amplius vitari potest abortus cum orificium uteri explorantes invenimus apertum, vel membranas extra uterum pendentes, vel foetus ipsius partem tangimus. Dolores veri nunc adparent ut in partu foetus maturi, et haemorrhagia, quae insequitur puerperae saepe exitum minatur, praecipue si placenta in partem tantum soluta est. Denique primum pedes, deinde totus foetus excluditur, inscia non raro matre. Non semper vero citata occurrunt signa, sed in nonnullis mulieribus jam ad abortum dispositis, sine ullo incommodo eum saepe accidisse fertur.

## CAPUT V.

### *Nonnulla de prognosi in abortu.*

Abortus semper majori cum periculo conjunctus est quam partus naturalis; placenta enim in partu solvitur sine ulla diruptione, qua saepissime metrorrhagiae et metritides adducuntur. Abortus in primipara periculosior est, quia in ea partes ipsae nondum adeo extensae sunt [1]). Observatum est feminam, quae semel conceptum foetum effudit, valde periclitari ne saepius. Inter feminas quae ad abortum dispositae sunt, referendas credo illas, quae fluore albo laborant. Quae saepe et brevibus intervallis abortum passae sunt, sterilitate interdum perfecta postea laborant [2]). Abortus eodem tempore redire solet, quo semel gravidam afflixit, quod saepissime tertio vel quarto graviditatis mense, eo quidem tempore, quo menstruationes apparere solebant, evenit. Dispositio ad abortum interdum a matre ad filiam transfertur, et sic haereditaria fit, cujus rei verisimillima causa debilitas quaedam uteri localis est. *Aretaeus* testatur, se nullas vidisse servatas ex iis, quibus in abortu vel post abortum convulsio-

---

1) *Mahon Arzt für das schöne Geschlecht, aus dem Engl. übers. von Michaelis.* C. VI. p. 92.

2) Storch. l. c. B. IV. Th. 2. p. 32.

nes supervenerunt [3]). Periculosior est abortus sexto septimo mense [4]).

## CAPUT VI.

### *Cura.*

Periculum, quod in abortu ex nimio sanguinis profluvio redundare potest, facile tollitur, si uterum maxima qua fieri potest celeritate, evacuamus, ejusque contractionem maturamus, quod leni saepe frictione uteri efficere possumus. Foetu enim placentaque remotis, erumpentis sanguinis impetus plerumque sistitur. Cum haemorrhagia si abortus incipit, atque orificium uteri nondum adeo apertum est, ut digito penetrari possit, causaque non nimis violenta fuerat, spe destitui non debemus, fluxum sanguinis sedari, foetumque diutius gestari posse. Quin etiam violentas causas fluxumque sanguinis permagnum, non semper abortus sequitur, quare eo magis medici est, omnem curam ad sedandam haemorrhagiam adhibere. Quies et corporis et animi, et situs horizontalis maxime commendandi. Tum indicationes secundum causam occasionalem instituendae sunt, quae si ejusmodi fuerint, ut sanguinis circulationem accelerarent, pulsum

3) J. Allen synopis med. pract. E. XIV. Art. 51.

4) J. Allen l. c. Art. 57.

si plenum durumque reperiamus, venaesectio instituenda et mixtura refrigerans e nitro et cremore tartari propinanda est, atque pro potu ordinario oxymel. Tunc respiciendum est, an obstructionibus femina laboret. Si enim exploratione per vaginam facta, excrementa dura inveniuntur, clysmatibus non tepidissimis haec removendae sunt. Exempla nonnulla *Stark* [1]) nobis edidit, de haemorrhagiis tertii mensis, quae tranquillitate et venaesectione curatae sunt. De loco venaesectionis nonnulli auctores dissentiunt. *Schurig* [2]) e. g. contendit: Feminis, quae in abortum faciles sint, venaesectionem in brachio magis convenire; reliquis venaesectionem in pede non modo nihil nocere sed magis conducere. Si haemorrhagiae causa debilitans fuit, pulsus si debilis et parvus est, nec venaesectio adhibenda, nec nitrosa propinanda, sed potius roborantia atque incitantia, ut cortex peruvianus cum tinctura cinnamomi.

Haemorrhagia permagna, etsi pulsu pleno, venaesectionem saepe vetat; propluvium enim sanguinis statum sthenicum satis imminuit, quare haemorrhagiam tantummodo nimiam reprimendam esse facile intelligitur, quod quidem efficitur linteis madidis frigidisque abdomini impositis, quae cum incalescunt,

---

1) L. c. B. II. St. 1. p. 114.

2) L. 2. Sect. V. Cap. III. p. 397.

aliis frigidis permutari opportet. Celeriorem saepissime effectum facit acetum aqua commixtum. Maxime etiam prosunt spongiae vino et aqua madefactae, seu pulvere stiptico conspersae, quae vaginae immittuntur.

Ira vehemens saepe est haemorrhagiae causa, in quo statu vomitorium ex ipecacuanha optimum praebet remedium ad sedandum sanguinem. *Thilenius* affirmat: se nonnunquam aegris, sordibus gastricis affectis, ore uteri jam aperto, vomitorium prosperrimo cum successu dedisse.

Foetu vero jam excluso, aegra ut puerpera tractanda est. Mulier monenda est, ne nimis cito e cubitu surgat, ne obambulet, coitumque exerceat; his enim neglectis haemorrhagiae non cessantes ac debilitantes, fluor albus, descensus et prolapsus uteri, dispositio ad abortum et spasmi, quinetiam sterilitas ipsa insequuntur [3].

Si vero mulier quae saepius abortum sit passa, medicum in nova graviditate consulat, sequentia huic observanda sunt:

Primo causae abortuum praeteritorum exquirendae, gravidaeque eas vitare suadendum.

Tum morbosum corporis praesentem statum in ordinem redigere studeat.

Deinde debilitatum corpus corroboret.

---

3) Storch l. c. B. IV. Th. II. p. 32.

Primo ad novum abortum impulsui maxima cura occurrat.

Denique si abortus epidemicus adparet, aegram secundum epidemiae genium tractet.

Quod attinet ad causas occasionales, mulieri abortum timenti suadendum est, ut tempus conceptionis exacte memoria teneat, et gravida facta, coitu abstineat, praecipue eo stadio, quo menses apparere solent. Quaelibet potio excitans, ut coffea et thea concentrata hoc tempore vitanda est, quies situsque horizontalis observandus.

Ut oeconomiam corporis destructam in ordinem redigamus, animadvertere nos opportet, an ante primum abortum perturbatio quaedam functionum naturalium facta sit; consueta venaesectio e. gr., quae in graviditate omittebatur, saepe unica causa abortus est. Praesertim pro abortus praeservatione a scriptoribus venaesectio suadetur. Neque etiam formidandum, mulierem ob sanguinis missionem abortum passuram esse. *J. Allen* 4) mulierem quandam effert, tres abortus consequentes passam, a duobus mensibus gravidam, doloribus circa umbilicum et lumbos, qui abortum minabantur, vexatam, venaesectione imperata, statim liberatam esse; sed eadem symptomata accessisse eo prorsus tempore, quo menstruas purgationes pati consuevisset

---

4) L. c. Art. 53.

extra graviditatem, ideoque iteratam fuisse venaesectionem mense tertio, quarto, quinto, sexto, septimo et octavo, recurrentibus doloribus, et tandem mense nono peperisse eam filium. *Stoll* [5]) scimus Hippocratis inquit, aliorumque quorundam sententiam circa venaesectionem in gravidis. Non dubito de horum asserto quin immo videmus, rusticas hungaras rarissime venaesectionem celebrare in graviditate, rarissime abortiri. At vero feminae nobiles desidiae et dietae lautae se dedicant, plusque sanguinis, quam quo indigent, conficiunt, indeque necessitas venaesectionis et abortus periculum, hac neglecta. In rustica femina inter copiam humorum, quae ob cibos pauciores et minus nutrientes, minus etiam sanguinis conficit, inter corporis exercitium, quo multum pariter humorum difflatur, justa proportio intercedit. Tempore *Hippocratis* vita haec nostra delicata rarior fuit longe. — Alia mihi videtur abortus causa, si mulieres a prima juventute morbis cutaneis affectae erant, eaque ex causa in virginitate ad fontanellas adsuetae erant, quas postea neglexerunt. Medico igitur videndum est, nonne ulcus aliquod apertum suppressum fuerit, et si res se ita habuerit, ulcus restituendum est. Materies arthritica frequens est abortuum causa,

---

5) L. c. Tom. V. p. 515.

inquit *Stoll* [6]), et scriptor medii aevi, *Zacutus Lusitanus* [7]) feminae cuidam suasit, affectionibus arthriticis praeditae, ut fontanellam sibi applicaret, atque hanc magnis laudibus extollit, se tali modo abortum impedivisse affirmans.

Mulieres quae semel aut pluries abortum fecere, non raro adeo debilitantur, ut postea saepe alvi obstructionibus laborent, quibus removendis medicus praesertim operam det necesse est.

Indicatio tertia roborationem corporis jubet. Ad simplicissima talia remedia mihi videtur serum lactis aluminosum pertinere, quo diu sine ullo metu obstructionis uti possumus. In adhibendis autem aquis, quae ferri particulas, continent, maxima cura adhibenda est; haemorrhagiae enim illorum usu magis augentur quam diminuuntur. Perill. *Hufeland* [8]) vulgatum est inquit in acido carbonico vim propriam adesse, quae haemorrhagias causat; quare eo magis nocere potest, ubi dispositio ad haemorrhagias cum irritabilitate vasorum nimia conjuncta invenitur. Feminam perill. auctor vidit duobus mensibus gravidam, quae usu aque pyrmontinae abortum sibi paravit.

Balnea

---

6) L. c. Tom. V. p. 460.

7) Med. princip. hist. Lib. 1. Hist. XX. 665. 59.

8) Journal, B. 5. p. 671.

Balnea vero frigida ut specifica ad abortum praecavendum remedia habenda esse, ut credam, facile inducor, quae quidem toto corpore vel abdomine debili maxime conveniunt. Nonnulli medici his caute agendum esse putant, alii vero balnea haec in genere commendant, ut Theden [9]) qui mulieribus quibusdam, quae in septimo mense abortum fecerant, suasit, ut mane et vespertino tempore abdomen, crura, partesque genitales aqua frigida lavarent. *Buszh* [10]) feminas incolarum Americae septentrionalis facillime et sine ullo obstetricum auxilio parere affirmat. Partu vix finito aqua se lavant frigida, qua re peracta, labores consuetos ut in sanitatis statu tractant. *Alix* [11]) rusticae cujusdam exemplum protulit, quae duabus vicibus infantem septem mensium pepereat, uterque autem paucis post partum horis ex nimia debilitate mortuus est. Porro inquit sexto post ultimum partum mense gravida denuo evasit et me consultum adiit. Abortus non ex nimia solum sanguinis copia, sed es partium quoque atonia. Consului ut sanguinem mitteret ad sextum usque mensem perventura esset, et tertio quovis die balneum ex aqua frigida adhiberet, mane et vespere infuso quassiae uteretur.

---

9) *Neue med. chir. Bemerk. B. II. p. 16.*

10) *Unters. und Beobacht. a. d. Engl. p. 10. Leipz.* 1792.

11) Obs, chir. fasc. III. p. 76. Altenb. 1774

Uterum ad legitimum terminum gessit, peperitque feliciter. Quicunque perlegerit scriptum *Siegsmundi Hahnii*[12]) persuasum habebit, quantum corporis debili conducat aquae frigidae usus. Ad usum autem internum infusum corticis peruviani cum cortice aurantiorum optimum esse roborans judico. *Thilenius* zonam cortice quercus repletam, vinoque rubro saepissime conspergendam, quam femina abdomini imponeret, suasit.

Quarta nostra regula sic interpretanda:

Periculum si e. g. imminet abortus, si sanguis defluit, pulsusque plenus et durus animadvertitur, vena in brachio secanda est. Omne enim auxilium vanum est, si stagnatio et inflammatio circa uterum non mox prohibetur. Ira haemorrhagiam causante, emetica statim porrigenda. Spasmi autem, qui a nimia sensibilitate nervorum ortum ducunt, et metrorrhagiam excitant, antispasmodicis fugiendi sunt. *Theden*[13]) belladonnam cum rheo ad abortum mulierum, debilitate nervorum praeditarum, praecavendum collandat, discens: feminas debilitate nervorum afflictas, saepissime abortire, ad quod impendiendum gr. iij. — v. belladonnea cum rhei gr. v. utilissimum esse remedium experientia se compertum tenere. A mul-

---

12) *Abhandl. über die Kraft und Wirkung des frischen Wassers.*

13) L. c.

tis auctoribus Zincum quoque in hystericarum mulierum abortu valde commendatur, cujus hisce in casibus utilitas, etiam Perill. *Hufelandi* experientia confirmatur.

Denique quod abortum attinet epidemicum, medico necesse est, ut praecavendo operam det. Non desunt enim qui observarunt, quod certae annorum constitutiones naturae sint, quibus inter homines aeque ac animalia cetera abortus frequentiores acciderunt. Abortum epidemicum *Stoll* nobis descripsit, quem bis animadverterat. Primum mensè Aprili cum pleuritide biliosa conjunctum post hiemem frigidissimam cui pluvium insequebatur. Sanguis tempore mensium cum motionibus febrilibus abiit, et tunc abortus fiebat. Ad quod removendum quies, venaesectiones, et in statu biblioso vomitoria ex ipecacuannha post venaesectionem praecepit [14]). Deinde abortus mense Martio animadvertebatur. Temperies aëris a lenitate in asperitatem transiit, febresque putridae cum statu peripneumonico apparebant. Multae gravidarum in quarto et septimo graviditatis mense abortum fecere. Eadem fere remedia maxime profuere [15]). Veteres quoque scriptores abortus epidemicos observarunt. Re-

14) L. c. Tom. III. p. 48.
15) L. c. Tom. III. p. 106.

fert enim *Adamus Genselius* [16]) circa finem mensis Januarii anni 1712 intensum frigus gravidis inprimis valde perniciosum fuisse, atque abortum epidemicum plurimis lethalem grassatum fuisse. Dyssenteriae si grassantur, abortus timendus est, quare Hippocrates dicit: Mulieri uterum gerenti, si alvus multum fluat, periculum est ne abortiat [17]). Si praegnanti tenesmus supervenerit, abortus est causa. In omnibus hisce casibus varia adhibenda sunt remedia, pro varietate causarum, quae singula exponi hoc loco non possunt.

---

16) Ephem. nat. cur. cent VI. et VIII.
17) Aph. 34. Sect. VI.
18) Aph. 27. Sect. VII.

Busse de rhoe toxicodendro berol 1811
Sundelin de usu mercurii in lue ven ber 1818
Casper de Phlegmatia alba dol. Hale 1819
Sturm de Ulceribus artificialibus
berolini 1821
Magnus de humorum excretione morbo.
sa berolini 1826
Kaltschein historia curationis per
inediam berolini berol 1826
Ascherson de fungis venenatis ber. 27
Mover de vitae atque morbi notione
berolini 1828
Frankel de Cinchonio et Chinino ber 2.
Simson de Polypus uteri berol 1828
Scherz de Hydrothorace berol 1828
Steetz de Laryngostenosi Wirceburg 29